

tionem. Quia & si iam absoluta sint quoad obligationem: at imbitam in se habent imperfectionem radicis, nempe, obligatio nem non processisse ex amore castitatis, aut religionis, sed potius ex odio. Ergo similiter poterit Episcopus dispensare in voto verè conditionali, impleta conditione, eò quod in se retineat imperfectionem radicis, ex qua procedit. Tandem quia ferè semper vota hæc conditionalia non procedunt ex religionis, aut castitatis affectione; sed ex amore rei positæ sub conditione, quam vouens obtinere desiderat, & vt facilis illam consequatur, offert Deo ea vota. Sicut nec vota pœnalia procedunt ex affectu rei promissæ. Ergo sicut in his potest Episcopus, ita in illis. Quamvis maiorem rationem potestatis dispensandi in pœnaliibus esse videam: at suo etiam modo ratio illa in cõditionalibus militat. Et id eò hunc sententiæ apertè videtur Toledo lib. 4. summæ cap. 18. num. 11. vbi absolute, ac indistinctè docet dispensationem tam in votis pœnaliibus, quam in cõditionalibus castitatis, ac religionis, ac reliquis reseruat, ad Episcopum pertinere. Et tenet in proprijs terminis dicens praxi vitorum sapientissimi frequentissima receptam esse hæc sententiam Antonius Gomez in bulla Cruciatæ, clausula 10. num. 99. Et tenent quidam viri doctissimi nostræ ætatis temperantes quando votum non apparetur, sed verè est conditionale (prout explicuimus num. 4. & 5.) Quando enim votum est apparenter solum cõditionale, eò quod dictio, si, æquiualeat dictioni, quando, nequibit etiam ante impletam conditionem Episcopus dispensare: nedum post. Et hæc sententia sic temperata mihi præ cæteris placet. Quam post hæc scripta inueni suffineri à Petro de Ledesma 2. par. summæ tract. 10. cap. 8. fol. 1216.

14 Est tamen hæc sententia intelligenda, quoties conditio est de futuro, nec tacitè inest. Quæ reuera suspendit consensum, efficiat: nè votum absolutum sit. Nam si sit de præterito, aut præsentis, vt voueo religionem, si ita res se habet modo, aut se habuit, non suspendit, sed est votum omninò absolutum, si conditio tunc vera sit, siue vouens sciat, siue ignoret conditio nem extare. Vt expresse habetur. l. cum ad

præsens, & duplici sequenti. ff. si certum petatur. Quare licet à qualis imperfectio in his votis inueniatur, quia tamen non talis, ac tanta est, qualis, ac quanta in voto verè conditionali reperitur, non potest Episcopus in his dispensare. Et constat à simili, nam ratione imperfecti consensus de ciditur cap. vnico, de sponsal. in 6. non orti ex sponsalibus cõditionalibus ante cõditionis euentum publicam honestatem: & tamen si conditio est de præterito, vel præsentis, & est vera, oritur publica honestas. Et similiter si tacitè inest, atq; apponitur eo modo quo inest. Vt probauit lib. præcedenti, disputat. 69. num. 4. & 8. Non ergo in votis sub conditione de præterito, aut præsentis, aut, quæ tacitè inest, & apponitur eo modo quo inest, inuenitur ea, consensus imperfectio, quæ satis est vt possit Episcopus dispensare.

Ad argumenta num. 11. proposita respondetur. Ad primum & confirmationem fateor non tanta ratione fulcitur potestatem Episcopi ad dispensandum in voto conditionali: quanta ad dispensandum in voto pœnali. At ratio ad id sustentandam non deficit. Vt num. 13. probauimus. Ad secundum, & confirmationem, dic verum esse, id peccatum esse cõtra votum: at quia id votum non vndequaquæ perfectam voti castitatis, aut religionis naturam fortitur, potest Episcopus dispensare. Ad argumenta proposita num. 12. probantia non posse Episcopum dispensare impleta conditione, responderetur. Ad primum constat ex dictis num. 10. tantum enim probat impleta conditione manere hæc vota perfecta quoad obligationem. At quia adhuc in se imbitam retinent imperfectionem radicis, à qua processerunt, potest Episcopus dispensare. Ad secundum dic eas pœnas respicere solum facti veritatem, nempe, veram clericis percussio nem, veram beneficiorum venditionem, quæ impleta conditione verè reperiuntur. At reseruatio potestatis dispensandi in votis respicit perfectionem voti castitatis, aut religionis, quoad obligationis radicem. Atq; si id argumentum vim habeat, quæ probat non posse Episcopum dispensare in voto pœnali, impleta conditione. Ad tertium constat ex dictis num. præcedenti.

DISPVATIO VNDECIMA.

An possit Episcopus dispensare in voto castitatis post matrimonium emisso ab altero, vel vtroque coniuge?

SVMMARIVM.

Explicatur casus discutiendi: & remissiones, quando est solum non petendi debiti votum, num. 1.

An dispenset Episcopus, quando alter coniux sit alterius licentia castitatis? Refertur duplex sententia, num. 2 & 3.

Proponitur sententia Authoris, num. 4.

Quid, quando alter solus cum licentia alterius veniunt, num. 5.

Quid, quando vterque continentiam vouit absq; alterius licentia, num. 6.

Quid, quando vterque cum alterius licentia, nõ per modum contractus, num. 7.

Quid, quando vterque communi consensu, ac per modum contractus vouit continentiam? Refertur duplex sententia, num. 8 & 9.

Proponitur sententia Authoris, num. 10.

An quando ratione necessitatis dispensat Episcopus, sit ad solum petendum debitum? numero 11.

An tunc possit, si sit recurus ad potestatem ex privilegio dispensare? num. 12.

An possint Episcopi in hoc voto dispensare, quando coniuges illi exceperunt casum aliquem, vti solales, quam habemus, morietur, volumus, vt liceat nobis vsus coniugij, vel id vaneant à tempore, quo solem habuerint implendum? num. 13.

Quid, si mutuo consensu vouerunt solum castitatem ad tempus? num. 14.

An si illi coniuges remittant sibi mutuum patrum, tradentes iterum sibi mem corporum potestatem, possit Episcopus in eo voto dispensare? num. 15.

1 Votum à coniugatis emissum, aut potest esse tantum de nõ petendo debito. Et de hoc voto satis regimus disputat. 9. num. 70. & 81. & ibi num. 6. regimus de voto castitatis coniugalis seruandæ. Quare disputatio præsens est de voto castitatis absolute à coniugatis emisso. Et quis hoc potest quinuplici modo emitti, id est, vt distinctè procedamus, quinuplici casu disputari potest. Primus est, quando alter coniux absq; alterius coniugis licentia vouet castitatem. Secundus, quando eum alterius licentia alter solus venit. Tertius, quando vterque absq; alte-

rius licentia. Quartus, quando vterq; seorsum cum licentia alterius, non tamen per modum contractus. Vltimus, quando vterq; mutua licentia per modum contractus continentiam vouit.

2 In primo casu, quando alter coniux absolute vouit continentiam absq; alterius licentia: quidam censent non posse Episcopum dispensare, sicut nec in voto continentie absolute ante matrimonium emisso, nisi in casu vrgentis necessitatis. Quia vltra obligationem non petendi debiti, includit id votum etiam obligationem integram castitatis, quando liber fuerit coniux à debito coniugali reddendo, siue per alterius coniugis mortem, siue fornicationem, ob quã alteri diuertere licet. Nec est conditionale. Quia ea conditio non reddendi quoties vouenti licuerit, inclusa in eo voto, nõ est addita ex libera vouentis voluntate: sed suapte natura in eo voto clauditur. Et hæc sententia est probabilis illamq; tenet quidam neoterici docti. Et Ludouicus Lopez 1. p. instr. forij. c. 47. in fine, quauis non explicet si absq; alterius licentia, vel cum illa votum sit emissum.

3 Alij verò censent posse Episcopum dispensare in hoc voto, & quauis non explicent an ea dispensatio sit tantum ad petendum debitum, an potius omninò in eo castitatis voto, at ratio cui innituntur probat omnimodam dispensationem. Ducuntur, quòd hoc votum non sit omnimodæ continentie: cum ad non reddendum debitum obligare nequeat. At reseruatio voti castitatis tanquam odiosa, de integræ castitatis voto est intelligenda. (vt late tota disput. 9. diximus.) Et id eò hanc partem sustineturonica de voto. q. 3. num. 64. Aragon. 1. 2. q. 88. art. 8. dubio vltimo. Manuel. 2. tomo summæ. cap. 90. num. 6. ad finem. Et posse Episcopum dispensare quauis alio fundamento ductus tenet Gutierrez, què disput. 9. num. 4. allegauit, eius fundamentum reprobandum.

4 Et placet quidem hæc posterior sententia, casu quo id votum emissum sit post matrimonium consummarum. Quia non est votum omnimodæ castitatis, & ita mini-

mè obligat ad non reddendum, etiam quòdo reddidit esse voluntaria propter alterius coniugis adulterium, aut diuortium. (vt probabo lib. sequenti, disputat. 35. num. 26. & duplici sequenti.) Si autem emissum sit ante matrimonij consummationem: subdistinguedum est; si id fuit animo ingrediendi religionem ad votum implendum, nequit Episcopus in eo voto dispensare. Quia valet vt votum omnimodæ castitatis. (vt probabo ex disputat. 35. num. 23.) Secus (vt ibi dicam) si vouens non habuerit animum ingrediendi religionem: vel tempore voti se habuerit negatiuè, nec de ingressu, nec de opposito cogitans: tunc enim non est omnimodæ castitatis votum: (vt ibi probabo) & idè potest Episcopus in eo voto omnimodè dispensare, liberando prorsus eius obligatione vouentem. Quando tamen animo ingrediendi religionem vouit, licet nequeat Episcopus prorsus in eo voto dispensare: poterit tamen vbi iam semel matrimonium consummauit, dispensare ad petendum debitum. Sicut disputat. sequenti. num. 4. dicemus posse eum eo, qui ante matrimonium id votum iniit. Et quantis ibi num. 6. dicemus posse tunc ad petendum debitum dispensare, licet animo ingrediendi religionem vouerit, aut id matrimonium inierit. Atque quantis nondum matrimonium consummatum sit. At si id castitatis votum post matrimonium ratum emisit, animo ingrediendi religionem, vt illud impleat, sciens se aliter illud implere non posse, credo non posse Episcopum dispensare ante matrimonij consummationem, vt petat debitum: secus post. Ratio prioris partis est, quia cum tempore quo se voto astrinxit, sciuerit se aliter non posse illud implere, quam ingrediendo religionem, & ingrediendi animum haberit, vt illud impleat, videtur se ad ingressum in eo voto obligasse, & cum adhuc possit implere, nequit Episcopus dispensare. Ratio autem posterioris partis est, quia semel matrimonio consummato nequit iam ingredi religionem, & cum teneatur simul habitare cum coniuge, & reddere debitum, versabitur in magno incontinentiæ periculo, nisi petat. Et idè potest tunc Episcopus dispensare ad petendum: & hoc quantis possit adiri Pontifex, aut alius potes ex privilegio dispensare: Sicut disput. sequenti. num. 4. & 7. dicemus posse in voto castitatis ante matrimonium facto. Sed argues ad probandum hunc, qui post matrimonium

ratum vouit castitatem animo ingrediendi religionem, sciens se aliter non posse implere, non censeri vouere religionem. Quia si alter coniugis obiret, aut transiret ad religionem, aut consentiret, vt hic voues, plene castitatem seruaret, non teneretur hic religionem ingredi. Sed respòdeo hoc verum esse: quia ille non censetur vouere religionem, nisi quatenus esset necessaria ad castitatis votum seruandum: quare cum in eo casu possit seruire in seculo, non tenetur ad religionem.

In secundo casu, quando cum licentia alterius coniugis aliter solus continentiam vouit: quidam dicunt posse Episcopum dispensare, vt vouens petat debitum: & nil aliud explicat. Sic Manuel. 1. tomo summae. 2. editione. cap. 243. conclus. 14. num. 14. Vega. 2. tomo summae. c. 129. casu 77. At ex ultimo eodem pacto distinguedum, quo distinxit num. precedenti. Aut enim hoc votum cum licentia alterius coniugis factum est ante matrimonium consummatum animo ingrediendi religionem, scienti se non aliter posse se votum implere integrè, sed manendo in seculo teneri reddere debitum: & tunc cum videatur se ad religionem obligare, casu quo aliter nequeat seruare castitatem: iuxta dicta num. precedenti, nequit Episcopus dispensare etiam ad petendum debitum. At si iam matrimonium consummarit: cum nequeat ad religionem transire, & teneatur non obstanti ea licentia reddere debitum (vt probabo lib. sequenti, disputat. 36. num. 5. & 6.) poterit Episcopus dispensare, non prorsus in eo voto, sed tantum ad petendum debitum. Quia valet vt votum omnimodæ castitatis. (vt probabo lib. sequenti, disputat. 34. num. 6.) Si autem id votum factum est post matrimonium consummatum, & animo ingrediendi religionem, volente altero efficere iure requisita, vt hic vouens transeat ad religionem, non poterit Episcopus dispensare etiam ad petendum debitum. Quia ad religionem voluit se obligare. At si alter propositum mutet, cum hic non possit ad religionem transire, poterit Episcopus dispensare ad petendum debitum: non tamen omnimodè in eo voto: sed quòd sit absolute castitatis. Quando verò id votum absq; animo ingressus religionis est factum, siue ante consummationem matrimonij, siue post, potest Episcopus omnimodè in eo voto dispensare. Quòd non sit votum omnimodæ, & abso-

lute castitatis, sed partis. Siquidem eo nõ oblati tenetur vouens reddere debitum: & potest reddere, licet alter in adulterium incidat: vt probabo lib. sequenti, disputat. 36. num. 5. & 6.

In tertio casu, quando vterque coniugis continentiam vouit absq; alterius licentia, dicendum est prorsus quòd nu. 4. diximus: quando alter solus absq; alterius licentia vouit. Quia similiter non est votum continentiae absolute, & omnimodæ, & tenetur reddere, ac potest, quando alter adulterij reus sit: nisi quando ante matrimonij consummatum animo expresso ingrediendi religionem factum esset. (vt probabo lib. sequenti, disputat. 37. num. 1. & 2.) tunc enim esset votum omnimodæ castitatis, nec posset Episcopus dispensare in eo: nisi solum ad petendum debitum in casu solo, in quo num. 4. dixi id posse.

In quarto casu, quando vterque seorsum continentiam vouit habitata ab altero licentia, non tamen per modum contractus, & reciprocae conuentionis, facio, vt facias, sed independentes ab alterius voto, dicendum est omnino, quòd num. 5. diximus. Quia similiter non est votum omnimodæ continentiae, sed partis. Cum teneatur alteri debiti reddere: ac possit, licet à debiti reddendi obligatione liber sit ob alterius adulterium. (vt probabo lib. sequenti, disputat. 37. num. 3. & 4.) Et quando id votum animo ingrediendi religionem factum esset, dicendum est, quòd nu. 5. dixi, in hac disputatione.

In vltimo casu, quando vterque communi consensu continentiam vouit per modum contractus, ac reciprocae conuentionis, facio vt facias: aliqui absolute dicunt posse Episcopum in hoc voto dispensare. Sic Maioris 4. distict. 3. quaest. 2. columna 2. in solutione ad 2. contra 2. conclusionem. Atque idem fortè dicerent authores sententias: non esse votum omnimodæ continentiae, sed vtrumque teneri reddere. Quos referam lib. sequenti, disputat. 37. num. 9.

Alij verò neotericis doctissimis placet posse tunc Episcopum dispensare ad petendum debitum. Quod etiam tenent Emmanuel Sa summa verb. debitum conjugale. num. 2. & Manuel. quaest. regularibus. 1. tomo. quaest. 63. artic. 2. Ducuntur, quia cum sit odiosa reseruatio, debet restringi ad propriam verborum significationem. Vt dum reseruat casus, intelli-

gitur quando habet propriam, & completam rationem in propria specie. At hoc non est propriè dispensare in voto castitatis, sed in effectu illius ad tempus, nec quo ad omnes effectus. Quia est sacrilegus vterque fornicans, nec eo matrimonio soluto potest ad aliud transire. Sed tantum est dispensatio ad petendum debitum: quia concessa, confurget ex ipso matrimonij contractu obligatio debiti reddendi. Item, quia in voto castitatis, quod matrimonij contractum praecedat dispensat Episcopus ad petendum debitum. Cur ergo non poterit in hoc post matrimonium facto? Cum hoc non magis obliget, quam illud.

At neutra opinio placet. Non prior, quia hoc votum est absolute, & integra castitatis: & obligat prorsus ad non petendum, nec reddendum. (vt probabo lib. sequenti, disputat. 37. num. 10.) Nec etiam posterior placet. Quia eius priorum rationem aperte impugnabo disput. sequenti. num. 4. Nec posterior ratio aliquid probat. Quia nõ est simile de voto castitatis ante matrimonij emissio. Quia ex natura rei est, quoque Pontifici reseruatum dispensare in eo ad petendum debitum. Et solum potest hodie eò quòd diuturna consuetudo obtinuit, vt Episcopi in hoc dispensent. (vt dicemus disputat. sequenti num. 4.) Quæ consuetudo ortum habuit ab euidenti incontinentiæ periculo, si coniugis nequeat petere, cum tamen ratione matrimonij teneatur reddere. Quod in praesenti casu minimè obtinuit, nec idem periculum militat, neuter enim tenetur, nec licet reddere potest. Ideo dicendum est, non posse Episcopum dispensare cum his coniugatis, vt matrimonio vtantur, siue petendo, siue reddendo: nisi quando esset incontinentiæ periculum in alterutro, nec commode Pontifex adiri posset praepaupertate, aut alia ratione. Priorem partem probat ratio proximè adducta, & discrimen ibi constitutum inter hoc votum, & idemmet dum est ante matrimonium. Posterior autem probatur. Quòd in ea necessitate possit Episcopus dispensare cum solutis ad inendum matrimonium. (vt probauit disputat. 9. num. 22.) Ergo à fortiori cum coniugatis his ad petendum debitum. Et rationes ibi adductæ hoc satis probant. Et ita hanc partem tenent Syluest. verb. votum. 2. sine iuncto verb. dispensatio. quaest. 9. nu. 15. ad quem locum se refert Nauarr. summa. cap. 12. num. 59. Stunica quaest. 3. de voto. num. 64. & 65. Palacios

4. distict. 2. 2. disputat. 2. columna 8. versu. quod si voram. Henríquez lib. 1. de matrimonio. cap. 1. num. 8. Manuel. 1. tomo summe 2. editione. cap. 2. 43. conclus. 14. num. 14. Aragon. 2. 2. quest. 88. art. 8. dubio ultimo. Lu. Jovícu. Lopez. 1. part. instrum. tri. cap. 4. 6. columna. versu. sic. quando vterq; Vega. 2. tomo summe. cap. 3. 4. casu 104. Ita tunc in principio, & cap. 129. casu 68. Atq; idem dicendum est, quando licet adiri possit Pontifex, imminet tamen graue incontinentie periculum ex mora. Quia in eodem euentu diximus eadem disput. 9. nume. 22. posse Episcopum dispensare in castitatis voto. & pro hac parte sunt. D. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 22. §. 4. Sotus. 4. distict. 2. 7. quest. 1. art. 4. columna antepenultima. versu. quod si contra arguas, Angles floribus. 2. part. vbi de voto. quest. v. nica, art. 7. difficul. 10. Vega dist. casu 68. vbi absolute docent posse Episcopum dispensare, quando est incontinentie periculum. Atque idem dicunt Nauaricus, Henríquez proxime allegati, & Manuel. dist. c. 243. num. 14. quando ex magno timore, licet non sufficienti ad votum irritandum, id factum est. Et placet quidem, quia id votum non est omnino voluntarium: & eum vt integrum voti castitatis vim habeat, exigatur mutuum pactum, vbi id omnino voluntarium non fuit, sed metu magno extortum: nil mirum si non ita Papæ referuerit, ac quando sponte factum est.

Id tamen monuerim, dispensationem Episcopi in hoc voto ob vrgentem necessitatem factam solum posse esse ad petendum debitum. Quia ad hoc solum necessitas vrget. Quare coniux hic fornicans delinquit contra votum, & ex vi illius tenetur eo matrimonio soluto non trāsire ad aliud, & si reus voti transeat, tenebitur non petere debitum. Instar eius, qui castitatis voto ligatus matrimonium iniit. At tunc poterit Episcopus dispensare ad petendum debitum. Quia respectu huius posterioris matrimonij se habet instar eius, qui post votum duxit uxorem: cum quo posse Episcopum dispensare ad petendum debitum, dicemus disputat. sequenti num. 4. Similiter si soluto eo matrimonio adfuerit vrgēs necessitas dispensandi, vt coniux superstes, qui sic mutuo consensu vouerat, transeat ad alias nuptias, poterit ad id dispensare Episcopus. Sicut disputat. 9. num. 22. diximus posse in hoc euentu dispensare in castitatis voto.

Secundo monuerim, cum potestas Episcopi ad dispensandum cum his coniugibus mutuo castitatis voto per modum contractus astrictis, vt possint petere debitum, cōpetat ratione solius necessitatis, & defectus potestatis commodè ad eundem Pontificem, non possit Episcopus in hoc dispensare, si possit absq; eo periculo adiri habēs privilegium Pontificis ad dispensandum. (vt dixi in simili, disput. 11. num. 25.) Quia tunc cessat ea necessitas.

Dupliciter tamen limitanda est hæc sententia. Primò, vt intelligatur, quando nulla exceptio in eo voto posita est. Si enim aliquis casus exciperetur, non esset votum omnimodè castitatis: & ita possit prorsus in eo Episcopus dispensare. Vt si coniuges per modum contractus vouissent castitate, hæc lege, vt si soboles, quam tunc habebant, obiret, possent vti matrimonio. De quo casu his diebus consultus respondi posse Episcopum omnino in hoc voto dispensare. Propter rationem dictam. At secus esset, si ab initio promitterent continentiam, si haberent prolem: tunc enim sic distinguendum esset, si dictio, si, æquivaleret dictioni, quando, vt sensus sit, postquam habuerimus prolem, promittimus ex tunc continentiam, esset votum verò absolute castitatis, & tantum quoad effugium esset conditionale: & sic non possit Episcopus dispensare, nec ad petendum debitum, nisi in casibus explicatis num. 10. Si verò sensus esset conditionalis, si Deus nobis hoc beneficium cōcesserit, vt habeamus prolem, promittimus in gratiarum actionem continentiam: tunc retenta sententia, quam tenuimus dispensatione præcedenti, num. 13. dicendum est, posse Episcopum in eo voto prorsus dispensare, siue ante impletam conditionem, siue post. Quia est verè conditionale.

Hinc deducitur, posse Episcopum dispensare, quando coniuges illi mutuo consensu, & per modum pacti solum continentiam ad tempus vouissent. Quòd id castitatis votum sit temporale, ac proinde non reseruat. Sic Palacios 4. distict. 32. disputat. 2. col. 17. versu. suffragatur communi placito.

Secundo limitanda est, nisi coniuges illi, qui per modum contractus vouerunt, remittant sibi ipsi renunciationem illam inris petendi, & reddendi, quam vouendo fecerant, iterum conferendo sibi mutuum corporum potestatem. Quippè tunc valet

prædicta

prædicta remissio, & tenebitur vterq; debitum reddere. (vt dicam lib. sequenti, disputatio. 37. num. 15.) Quare poterit tunc Episcopus dispensare ad petendum debitum, ratione illius periculi, quod grauisimum imminet, si cum sint obligati ad reddendum, sit illis interdicta debiri petitio. Atque id existimo posse, & si facilis sit ad Pontificem recursus. Quia per illam renunciationem quali de nouo contrahitur

matrimonium, quoad licitam eo vtrius facultarem: & petitio debiti erit ratione illius voti interdicta, concessa, ac obliganti redditione. Quare dicendum est posse Episcopum in hoc voto castitatis dispensare ad petendum debitum, licet Pontifex facile adiri possit. Sicut dispensatione sequenti numero 4. & 7. id dicemus de eo, qui voto castitatis astrictus matrimonium contraxit.

DISPUTATIO DVODECIMA.

An possit Episcopus dispensare in voto Castitatis, & in affinitate, ac cognatione spiritu ali post matrimonium contractis ad petendum debitum coniugale?

SYMMARIUM.

Q VOT. Quæstiones disputanda sunt. numero 1.

An possit Episcopus dispensare in voto castitatis præcedenti matrimonium ad petendum debitum? Referretur quadam opinio. num. 2.

Hæc opinio retenta, nequit quoties adiri potest est habens dispensandi privilegium. numero 3.

Propositur sententia Authoris. num. 4. Et ibi, an possit dispensare cum coniugato, qui absq; vxoris licentia initiatus est?

An possit Episcopus dispensare cum professo, aut sacris initiato, ad petendum debitum, quando absque causa iniit a dispensatum est cum eis ad inuendum matrimonium? Remissio. numero 5.

An possit dispensare in voto castitatis ad petendum debitum, quando nondum matrimonium est consummatum? num. 6. Et ibi, quid, si ille votum religionis fecerat? vel alter in adulterium incidat?

Quid, si adiri valeat potens ex privilegio dispensare? num. 7.

Quid, quando votum castitatis emisum est post matrimonium: & quid possint circa dispensationem in votis ad petendum debitum, confessores per bullam Cruciatam: & religiosi per sua privilegia? remissio. num. 8.

An dispensatio hæc Episcopi in eo voto castitatis sit plena, an solum ad petendum debitum? num. 9.

An possit Episcopus dispensare ad petendum debitum in affinitate contracta post matrimonium? Referretur duplex sententia. num. 10. & 11.

An iuxta has sententias possit, quando est aditus ad potentem ex privilegio? num. 12.

Propositur sententia Authoris. num. 13.

An possit, quantum adiri valeat potens ex privilegio? num. 14.

An possit dispensare in cognatione spirituali ad petendum debitum? num. 15.

Quid possint commissarius Cruciatæ, & religiosi per sua privilegia, circa dispensationes ad petendum debitum in affinitate, ac cognatione spirituali? Remissio. num. 16.

Disputatio præfens tres quæstiones disputandas petit circa Episcopi facultatem ad dispensandum cum coniugatis in debiti coniugalis petitione. Prima est de voto castitatis. Secunda de affinitate. Tertia de cognatione spirituali.

Quæstio prima. An possit Episcopus dispensare ad petendum debitum, cum coniuge, qui voto castitatis astrictus matrimonium iniit? Qua in re quidam censent solum Papæ esse in hoc dispensare: & solum posse Episcopum ratione necessitatis vrgentis, quando, scilicet, voto astrictus caret sumptibus necessarijs ad impetrandam dispensationem, vel periculum incontinentiæ ex mora illius imminet. Quod communiter euenit in coniugatis simul habitantibus. Ducitur, quòd in voto castitatis ex quo oritur obligatio hæc non petendi debiri solus Papa dispenset, nisi ratione vrgentis necessitatis. Sic tenent Sotus. 4. distict. 38. quest. 2. art. 1. columna penultima. versu. reddere etiam. Ledesma. 2. part.

Iii 4. quest.

4. quæst. 55. art. 1. columna 1. vers. sed hæ-
tabis. Palacios 4. d. 52. disput. 2. columna
8. vers. ego verò & d. 34. disput. 2. colum-
11. vers. & quamquam & d. 38. disput. 3. col-
lum. 24. vers. at verò necessitati. Margarita
sponsellorum in 6. præcepto, folio 89. col-
lum. 1. Gaeta cap. ad limina 30. quæst. 1. §.
4. quæst. 127. num. 350. Pedraza summa, in
6. præcepto. §. 9. Sylu. verb. dispensatio
quæst. 9. num. 15. & verb. matrimonium 7.
quæst. 5. sine: & verb. debitum quæst. 9.
num. 11. & verb. votum 4. quæst. 4. Armilla
verb. debitum num. 13. Navar. summa cap.
12. num. 76. & 86. & cap. 16. nu. 30. Pérez
lib. 4. ordinamenti tit. 1. l. 1. columna 28.
folio 4. Gutierrez quæst. canonicis, lib. 1.
cap. 23. num. 17. Petrus de Ledefina de ma-
trim. quæst. 13. art. 1. colum. 15. vers. aduer-
tendum tamen. Toledo lib. 4. summa cap.
18. num. primo, differentia 2. Bartolom. à
Ledefina de matrim. dubio 32. columna
ante penultima. Azor lib. 11. institutionū
moralium cap. 19. quæst. 8. Grassis 1. part.
decisionum, lib. 1. cap. 13. num. 80.

3. Quare iuxta hanc sententiam dicendum
est, non posse Episcopum etiam dispensare
in casu necessitatis, si recursus sit ad po-
tentem ex privilegio dispensare in voto
hoc ad petendum debitum (vt in simili di-
xi disp. 9. num. 25.) Et ita affirmat Petrus
de Ledefina num. præcedenti allegatus, as-
serens non posse Episcopum dispensare, si
ad Nuncium apostolicum aditus pateat.
Quod tamen eo. nu. 25. reprobaui, eò quòd
hic nō maiori potestate gaudet quoad has
dispensationes, quam Episcopi. Et sic iux-
ta hanc sententiam, rarò, vel nunquam po-
terunt Episcopi in hoc dispensare. Quia
vbiq; est copia religiosorum mendicantiū,
qui possunt in hoc ex privilegio dispēfare.
Vt dicemus disp. 16.

4. At multò probabilius est, posse semper
Episcopum dispensare cum coniugato, qui
voto castitatis ligatus transijt ad nuptias, vt
petat debitum. Cuius rationem reddunt
Henriquez, Manuel, Vega statim allegadi.
Quòd id nō fit in voto castitatis dispēfare,
sed ad quendam solum effectum. Cùm hic
coniug. non obstanti hac dispensatione sit
sacrilegus fornicando: nec eo matrimonio
solutò possit ad aliud migrare. Sed hæc ra-
tio displicet. Nam similiter probaret posse
Episcopum dispensare ad eum solum effe-
ctum vt ligatus voto castitatis ineat semel
matrimonium, manente voto in sua firmi-
tate quoad cætera. Quod nullus concedit.

Alteram rationem tradit Palacios statim
allegandus, nimirum, quia id votum casti-
tatis à sua perfectione cadit post matrimo-
nium initum: eò quòd iam non obliget ad
non reddendum. At in voto castitatis im-
perfecto potest Episcopus dispensare. Sed
neq; hæc ratio aridet. Quia simili modo
probabiliter concluderet posse Episcopum
in eo voto profus dispensare. Quippe ob
eandem rationem imperfectiois, quæ in-
uenitur in hoc castitatis voto post matri-
monium emissio defendimus disput. præce-
denti, ad num. 4. posse Episcopum in eo pro-
fus dispensare. Præter eum votum absolu-
tè, ac perfectè emissum fuerit, & obligari:
non potest dici imperfectum ratione sta-
tus culpæ assumpti: nec ex culpa sua de-
bet assumere reportare cōmodum. Quare
legitima huius ratio est, quam tradunt non
nulli ex authoribus pro hac sententia alle-
gandis. Quia licet attento iurè hæc dispen-
satio sit solius Pontificis: ac consuetudine,
quæ iurisdictionem præbet cap. eum con-
tingat, de foro compet. obtentum est hæc
dispensationē Episcoporum esse. Passim enim
Episcopi in hoc dispensant, nullo Romam
confugiēte ad petendam in hoc dispensa-
tionem: eò vel maxime quòd hæc dispen-
sationes excusari nequeant ratione vrgētis
necessitatis. Cùm facilis semper aditus pa-
teat ad religiosos mendicantes, qui ex pri-
uilegio possunt in hoc dispensare. Et idē
hanc sententiam tenent ex iurisperitis,
Ioan. Andr. cap. rursus num. 6. qui clericis
vel vouent, & ibi Anton. sine. Ancharan.
num. 2. oppositione 1. sine. Præposit. num.
6. Alexander de Neuo num. ultimo, Hen-
ricus numer. 4. Brunellus de sponsalibus,
conclus. 3. 1. num. 4. Hieronymus Mangar-
ria in arbore consanguinitatis, §. in nomi-
ne num. 56. (vterq; habetur tomo 9. tracta-
tum.) Rosella verb. impedimentum, im-
pedimento 4. num. 5. sine. Angelus verb.
matrimonium 3. impedimento 5. num. 3.
& verb. votum 4. num. 9. Armilla verb. dis-
pensare num. 18. & verb. matrimonium nu.
55. Tabiena verb. matrimonium 1. quæst. 2.
& verb. impedimentum, impedimento 2.
quæst. 5. Gregor. Lopez. l. 1. sine tit. 2. p. 4.
Gallego de cognat. spirit. cap. 19. num. 19.
Mozzius, quem refert, & sequitur Hugo-
linus de matrim. cap. 20. nu. 10. & ex theo-
logis, Maioris 4. d. 3. 2. quæst. 2. argumento
2. contra 2. conclusionem. D. Antonius 3.
par. tit. 1. cap. 22. §. 2. sine. Sotus 4. d. 37.
quæst. vnica, art. 1. in sine corporis, & art. 2.

columna

columna 4. vers. & per hoc responderetur.
Alexander in suo Enchiridion, in 2. part.
præcepto 2. tractatu de voto vers. Episco-
pus tamen dispensat. Veracruz 1. par. specu-
lari, art. 15. in sine, & dubio 1. in sine: & ap-
pendice ad. d. art. 15. folio 121. Palacios 4.
d. 32. disp. 2. columna 17. vers. suffragatur
communis placito. Corduba summa. q. 146.
puncto 2. Toledo lib. 7. summa cap. 14.
num. 4. Henriquez lib. 12. de matrim. cap.
2. nu. 9. & in commento, litera S. & cap. 5.
num. 19. vbi dicit idem de coniugato, qui
saceris est initiatus absq; vxoris licentia.
Sorbus in compendio priuilegiorum men-
dicantiū verb. absolutio quoad seculares
2. in resolutionibus, quas ibi ponit ver-
teritò aduertendum est, folio 76. Vivaldus
candelabro sacram. 1. p. vbi de matrim. nu.
140. & 3. p. cap. 14. num. 41. Manuel 1. to-
mo summa 2. editione cap. 242. num. 2. &
in bulla Cruciatæ. §. 9. num. 119. & q. regu-
lar. 1. tomo. q. 63. art. 2. Valentia 4. p. disp.
10. q. 5. puncto 5. sine. Ludonicus Lopez
2. p. instructorij, vbi de matrim. cap. 46.
vers. de verò. folio 110. & 1. par. cap. 83.
vers. penultim. Emmanuel Sa summa verb.
debitum coniugale num. 4. Grassis in suis
decisionibus 1. p. lib. 2. cap. 82. num. 5. &
cap. 83. num. 12. Vega 2. tomo summa cap.
129. casu 51. & casu 118. puncto 2.

5. Sed an hoc extendendum sit ad profes-
sos, vel sacris initiatos, qui ex dispensati-
one Pontificia absq; legitima causa concessa
matrimonium iniere, vt possit cum eis E-
piscopus dispensare: dixi disp. 8. nu. 10.

6. Rursus dubitabis, an hæc facultas Epis-
copi protendatur etiam ad dispensandum
in petitione debiti cum eo, qui post votū
castitatis cōtraxit matrimonium, nondum
tamen illud consummauit? Decisio pen-
det ex ea questione, an hic teneatur tunc
ratione voti castitatis implendū, ingredi re-
ligionē. Et doctores teneri asserētēs, quos
referam lib. sequenti, disputat. 34. num. 2.
teneatur subinde dicere non posse tunc
Episcopum dispensare. Quia hac ratione
nequit Episcopus dispensare eum eo, qui
post votum religionis matrimonium iniit,
vt possit consummare: (vt bene ait Sorus
4. d. 38. quæst. 2. colum. 6. vers. quid autem
remedijs;) quia ille potest adhuc implere
votum ingrediendo religionē. Et ita hanc
partem sustinet Azor in quodam simili,
lib. 11. institutionum moralium cap. 19. q.
20. vers. sed dubie quæstionis est. At retrō-
ta opinione nostra, quam sustinebimus lib.

sequenti, disp. 34. nu. 8. dicit hunc non
teneri ingredi religionem, sed posse con-
summare reddendo, dicendum est posse
Episcopum dispensare vt debitum petat.
Sicut id potest matrimonium semel cōsum-
mato. Quia similiter teneatur debitum red-
dere, nisi religionis ingressum eligat, ad
quem minimè obligatur. Ac proinde ver-
fabitur in magno incontinentiæ periculo,
petitione debiti sibi interdita. Et ita sus-
tinet Manuel 1. tomo summa 2. editione
cap. 242. num. 2. Et similiter potest Episco-
pus dispensare in hac debiti petitione, aut
redditione priori bimestri, quo ante con-
summationem reddere non teneatur: vel si
cùm ipse vouens sit innocens, alter cōiug.
sit adulter. Quibus enim in his casibus nec
teneatur, nec possit licitè reddere debi-
tum; eum tamen non teneatur religionem
ingredi, quòd castitatis votum impleat, nec
possit ad alias nuptias transire, in magno
incontinentiæ verfabitur periculo. Nec
cōsuetudo ratione necessitatis inducenda ad
dispensandum in hac debiti petitione, re-
stringenda est, ne in his casibus similis ne-
cessitatis possit. Idem dicemus, quando
hic voto castitatis astrictus ad matrimonium
transiit animo ingrediendi religionem.
Cùm enim is animus non obliget ad in-
gressum, sed liberum sit ei matrimonio ini-
to non ingredi, sed id cōsummare reddendo:
(vt probaui lib. 1. disputat. 43. num. 5.)
eadem ratio militat, vt possit cum illo E-
piscopus dispensare ad petendum.

7. Ex his deducitur, minimè necessarium
esse confugere in his euentibus ad habentes
ex privilegio pontificio facultatem dis-
pensandi. Quippe ratione dictæ consuetu-
dinis id potest Episcopus præsentē Papis
nondum illis. Sicut disput. 9. num. 27. dixi-
mus posse parochos ratione cōsuetudinis
dispēfare in vna, vel altera ieiunij die, etiā
si præsens esset Episcopus.

8. Quando autem vota hæc castitatis sunt
post matrimonium emissa, qualiter circa
ea, ac debiti petitionem, possit Episcopus
dispensare, satis diximus tota disputatio-
ne præcedenti. An autem possit in hac de-
biti petitione dispensari per bullam Cruci-
atam? dicemus disputat. 15. Et an possit
per religiosorum priuilegia? dicemus latè
disputat. 16.

9. Tandem id monuerim, non posse Epis-
copum dispensare omnino in voto castita-
tis, cum eo, qui post illud matrimonium
contraxit, sed tantum ad petendū debitū.

Iii 2

Quia

neant votum implicitum numero 4.
 Propositur sententia auctoritate potestatem Episcopi in his iuramentis, num. 5.
 An concessio in aliquo privilegio omnibus iuramentis, quae non sunt interdicti praedictum, & omnibus votis praeter castitatis, & religionis, censentur quoque, reservata iuramenta castitatis, & religionis? num. 6.
 Quid, si nulla reservatio votorum fieret, sed omnia vota, ac iuramenta, quae non sunt interdicti praedictum concederentur: an censentur adhuc reservata iuramenta religionis, & castitatis? num. 7.
 Satisfit argumenta num. 8.

Quando haec iuramenta castitatis, & religionis, sunt poenalia, vel conditionalia, idem prorsus sentiendum est de illis, quod de votis similibus diximus disputato num. 8. & 13. Quia eadem est ratio. Et, qui potest in votis dispensare, potest quoque in iuramentis factis ipsi Deo, quae in votis sunt. Vt probavi disputato 2. num. 28.

Tota autem difficultas eo pertinet, an in his iuramentis absolutis possit Episcopus dispensare: an potius censentur Pontifici reservata, ac vota earumdem rerum? Duplex est sententia: Prior affirmat ea iuramenta Pontifici reservari, sicut & similia vota. Dicitur, quod iuramentum factum Deo includat votum (ut bene docent Sorus lib. 8. de iust. quest. 1. art. 9. in solutio ne ad 2. in fine. Navarr. summa Latina cap. 27. num. 275. vers. 16.) Quod inde constat, nam iurans Petro se daturam ei nummos, id promittit Petro, confirmans promissionem testimonio divini nominis. Ergo iurans Deo se servaturam castitatem, vel ingressuram religionem, id promittit Deo, iuramento quoque firmat. Et proinde ibi est votum, ut potest quod nil aliud est, quam promissio facta Deo. Reservatis ergo votis castitatis, ac religionis, censentur ad fortiori reservata similia iuramenta. Et confirmatur ex doctrina. D. Thomae 2. 2. quest. 89. art. 1. in fine corporis, ubi omne iuramentum dividit in assertorium, & promissorium, dicens esse assertorium, quando inducitur ad confirmandum aliquid praesens, aut praeteritum: promissorium autem, quando ad confirmandum aliquid futurum. Secundo, quia ex eo iuramento acquiritur Deo tantum vero creditori, ab ipsoque acceptatur obligatio faciendi aliquid in eius obsequium.

Ergo est promissio perfecta: & cum Deo facta sit, erit votum. Tandem quia si quis homini promittat se ingressurum religionem, nequit homo ille remittere quasi promissio non homini, sed Deo facta sit. Sic tenet Caiet. 2. 2. quest. 89. art. 9. paulo post principium. Sotus lib. 8. de iust. quest. 1. art. 9. in fine corporis. Alcozer lib. de iudo cap. 13. conclus. 9. in summa cap. 16. folio 38. vers. la primera es. Sturnica q. 5. de voto num. 42. & q. 6. sine. Manuel. 2. tomo summa cap. 100. num. 3. Toledo lib. 4. summa cap. 23. num. 2. Azor lib. 11. institutionum moralium cap. 10. quest. 3. Aragon. 2. 2. q. 88. art. 12. columna 6. dictio 1. & quest. 89. art. 9. columna 3. dictio 4. Valentia 2. 2. disput. 6. quest. 7. puncto 4. columna 5. vers. & notandum est.

Posterior sententia docet huiusmodi iuramenta non esse Pontifici reservata. Dicitur, quia nunquam in facultate concessa circa relaxanda, aut commutanda iuramenta, excipiuntur haec, sed sola, quae in tertio praedictum vergunt. Nec ex votorum reservatione deducitur sufficenter reservatio iuramenti circa eandem materiam. Cum enim votum sit fortius vinculum iuramento, teste. D. Thoma 2. 2. quest. 89. art. 8. quem plerique sequuntur, deducitur argumentum negativum a maiori ad minus. Vt non potest Episcopus in maiori vinculo dispensare: ergo nec in minori. Quod omni prorsus videtur esse. Sic tenent Tabiena in summa noviori verb. iurare quest. 20. num. 21. ad finem. Navarr. lib. 2. consil. tit. de iureiurando, in priori editione, consil. 3. num. 4. & 5. in posteriori, consil. 1. nu. 4. & 5. Et aliqui neoterici de his simi.

Sed ut meam sententiam explicem, suppono iuramentum factum Deo de re aliqua eius honorem concernenti, regulariter continere promissionem factam Deo, ac subinde votum. Quod probant argumenta num. 2. adducta. At postulat aliquando haec iuramenta fieri, ita ut nullam promissionem Deo factam includant: sed mera sint iuramenta. Quia, scilicet, iurans intentione caruit promittendi, ac offerendi aliquid Deo, sed solum per iuramentum quasi assertorium, id se facturum affirmavit. Vt bene docet Ludovicus Lopez 2. p. instructorii, ubi de clavis cap. 9. columna 6. & melius Valentia 2. 2. disp. 6. quest. 7. puncto 2. paulo post principium, ubi ait, sicut enunciatio de futuro potest esse coniuncta & eum nudo proposito faciendi id,

quod

quod quis dicit se facturum: & etiam cum promissione faciendi id: ita quoque iuramentum posse induci, vel ad confirmandum nudum propositum, vel ad promissionem confirmandam: communitur tamen induci ad promissionem confirmandam, & sic dici promissorium. Quare id iuramentum dicitur promissorium imperfectum, & secundum quid, vt distinguitur contra mere assertorium: quod proprie est de praeterito, ac praesenti. Nec tunc iurans obligatur Deo tanquam creditori acceptanti materiam illam, ut rem sibi promissam, sed vt testis exigenti veritatem sui testimonij: desinit autem vera promissio, eo quod non sit obligatio praesentata. Exemplum huius est, quando quis non respiciendo Deum, quasi aliquid volens illi offerre in suum obsequium, sed solum eum asserre in testem, se ad aliquid faciendum iureiurando altingit. Veluti contingit in eo, qui non impulsus Deo obsequendi desiderio, sed quasi desperans quod videat a se ignominiosam, aut pauperem vitam in seculo duccendam: quia cathedram, aut beneficium cui se opposuerat, amisit: vel aliud dedecus passus est, iurat fore vt ingrediatur religionem: vel quando ira percitus erga patrem, id illi iurat. Et quavis hoc in voto religionis frequentius accidat: potest tamen in voto castitatis quandoque contingere. Vt si quis mirum in modum conseruendi alicuius matrimonij audis, spe eius obtinendi amissa iuret se castitatem servaturum, non intendens eam Deo in eius famulatu dicere, sed praerabie, ac indignatione eo quod coniugium intentum votis suis non responderit. Sed obijcies idem quoque posse contingere in promissione per modum voti facta. Vt si in eisdem exemplis quis sic diceret. Promitto Deo religionem. Sed respondeo esse apertam differentiam. Quod in hoc exemplo adit expressis verbis facta Deo promissio: nec Deus alio modo adducatur, quam vt verus creditor promissionis sibi facta. At in illis exemplis nulla expressa promissio adest, nec animus promittendi, sed solum adducendi Dei in testem illius assertionis de futuro, quae quodammodo, & imperfecta est promissio.

Hinc deducitur solutio quaestionis propositae. Quippe existimo priorem sententiam num. 2. relata veram esse regulariter, & in plurimum. Quia regulariter ea iuramenta

mentum votum continet: & ita fortius vinculum, quam solum votum. At posterior sententia num. 3. relata, est vera in casu raro, quem num. praecedenti explicui, quando id iuramentum non includit in se votum. Quod tunc fit minus vinculum quam votum, ad proinde non probatur eius reservatio ex reservatione voti eiusdem materiae. Vt bene probavit posterior sententia. Secundo deducitur, quoties privilegium concedit relaxari, aut commutari omnia iuramenta in tertio damnum non cedentia, & omnia vota praeter castitatis, & religionis, censeri sub ea votorum reservatione reservari quoque eiusdem materiae iuramenta, quoties haec promissionem continent: secus ubi ea vacant. Erta conciliatur diversae sententiae, quae inter viros doctos nostrae Societatis circa hoc existeret, quibusdam reservari asserentibus, alijs vero negantibus.

Tertio deducitur, quavis in bulla concederentur omnia vota, & iuramenta, quae non sunt in tertio praedictum, nulla votorum reservatione facta, censeri adhuc reservata iuramenta castitatis, ac religionis, in quibus promissio continetur: secus quando non continetur. Quia in nulla generali concessione censentur concessa vota religionis, & castitatis, nisi exprimentur (vt diximus disputato 9. num. 1.) Quare a fortiori nec iuramenta earumdem rerum promissionem continentia censentur concessa.

Ad argumenta num. 2. proposita quatenus militans contra postremam sententiam responderetur. Ad primum, dic id concludere, iuramentum illud castitatis emissum in Dei honorem includere votum, & ita reservari Pontifici. Quod nos num. 5. falsi sumus. Ad secundum, dic eam probare, omne iuramentum de futuro esse promissorium saltem imperfectum, vt distinguitur contra assertorium. Quod num. 4. concessimus. Ad secundum, constat ex dictis num. 4. ubi quando id fit verum explicuimus. Ad vltimum fateor hominem non posse relaxare: eo quod promissio illa non cedat in eius favorem: non autem quod semper includatur promissio facta Deo. Ad argumentum num. 3. adductum quatenus etiam aduersatur nostrae sententiae mediis, constat ex dictis num. 4. & 5. ubi explicuimus quomodo iuramentum sit minus, & quado fortius voti.

DISPUT. DECIMA QVARTA.

An Episcopus dispensantibus integrum sit aliquam multam pecuniariam imponere: atque possint dispensare, licet impetras prius adierit Pontificem, siue hic concesserit, siue denegarit: siue non adierit, at nouit Episcopus Pontificem denegare?

S.V.M.M.A.R.I.V.M.

Quando dispensant in voto, vel sua lege possunt imponere multam pecuniariam. numero 1.

Quid, quando dispensant in lege superiorum numero 2.

An possit Episcopus dispensare in voto sibi concessio, quando prius aditus est Pontifex, ac concessio dispensationem. numero 3.

Quid, si iam virtute eius commissio ordinarius, vel confessor dispensasset. numero 4.

Quid, quando Pontifex in eo casu denegauit huic dispensationem, vel nouit Episcopus solenne denegare. numero 5.

Quid in hoc casu, quando Pontifex decreto esset commissio dispensatio in perpetuum dignitate Episcopali: vel tacita. esset commissio ratione urgentis necessitatis. numero 6.

Quid, quando confessor virtute bulla, aut privilegio religionis potest dispensare. numero 7.

Quid si Episcopus, vel confessor negauit remittens ad Papam. numero 8.

An tunc dicatur casus occultus. numero 9.

DVO perit disputatio praesens. Prius est, de potestate Episcopi ad imponendam aliquam multam ijs cum quibus dispesat, per modum partialis cuiusdam dispensationi commutationis admixtae. Posterior de facultate eiusdem ad dispensandum, quando prius est aditus Pontifex. Circa prius, manifestum est, id posse, quoties dispesat in voto: imo omne s fatentur sanum esse consilium non omnino dispensare, sed aliquam commutationem admiscere. Idem q; posse quoties in sua lege dispesat, nemo merito dubitare potest. Quod cum ea lex a sua voluntate proficiscatur, vimq; obligandi habeat, potest ex iusta causa in ea dispensare, partim relaxando, & partim in aliquam elemosynam commutando. Sicut potest Pontifex, & quotidie facit circa suas leges.

Sed difficultas est, an id ei liceat, dum in lege superioris in casu sibi permisso dispesat: vt in ieiunio, obseruatione festorum. De qua re egi lib. 3. disput. 10. a nu. 8. vbi

id negati, illud admittens in voto. Et nuc in eadem sententia persisto. Quia rationes quibus id probauit sunt urgentes: At non sunt damnandi iudices Ecclesiastici hanc multam per modum cuiusdam commutationis imponentes. Quia innotunt sententia: probabili grauisimorum Auctorum. Et rationibus ibi a me adductis potest responderi, hoc posse ex tacita commissione. Nam eo ipso quod Episcopus tanquam ordinarius ea commissio demandatur, aut expresse, aut tacite ratione urgentis necessitatis, censetur commissum, vel vt integre dispensent, vel aliqua commutatione admixta: Et ita hanc partem sustinent diceh res casu, quo potest Episcopus in ieiunio dispensare, posse, cum illud commutare in aliud opus pium, partim dispensando, It. nocen. c. 1. nu. 2. de obseruat. ieiun. & ibi Henricus. nu. 2. Hostiens. rubrica eodem tit. num. 9. vbi Ioan. Andr. nu. 3. Anton. nu. 3. Cardin. nu. 3. q. 4. Abb. nu. 9. Anchar. nd. 8. Palud. q. d. 15. q. 4. art. 1. nu. 13. D. Anton. p. tit. 6. c. 2. q. 1. Caiet. 1. 2. q. 197. ar. 4. ad fin. & summa. verb. ieiunium. c. 3. ad finem vbi Rosella. nu. 25. Angelus nu. 20. Syluest. q. 7. dicto 2. nu. 19. Armilla nu. 6. Tabienar. q. 14. nu. 15. Nauarr. summa. c. 21. Hispan. nu. 21. Latine nu. 22. Angles floribus. 1. p. vbi de ieiunio. q. 5. difficult. A tot lib. 7. instit. tionum moralium. cap. 29. qua. 5. Vegar. tomo summae. c. 14. casu 36. Non tamen hoc ita accipiendum est, ac quando Episcopus in voto. Quippe in hoc potest partim commutando dispensare, licet causa omnino dispensandi non adit. Quia idem vinculum voti manet super materia loco prioris subrogata: ac vinculum id voti potest absque eius iniuria omnino commutari: At in lege superioris non potest dispensare admixta commutatione, quando constat non adesse causam iustam ad plene dispensandum. Quod tunc omnino relaxetur ea lex, non enim eadem lex potest in aliam materiam transferri, nisi per legislatorem. Nec datur inferioribus in ea dispensandi facultas, nisi quando necessitas causetur. Quod minimè euenit, quoties co

stat,

stat non esse causam omnino dispensandi iustam. Dixi quoties constat, nam in dubio fatentur omnes posse plene dispensare: imo in hoc casu est opus dispensatione. Nam vbi causa a praepcepto excusans constat, ea non est opus. Circa posteriori quaesitum, ratio dubitandi potest esse. Quod ea dispensatione semel petita a superiori, videtur iam in ea causa per superiorem praesentem, & sic nil posse citra illam inferiorem. Prima tamen conclusio sit. Quando Episcopus potest iure ordinario in aliqua re dispensare, vt in voto penali castitatis, vel non nubendi, qua vix obtenta sit a Pontifice commissio facta ordinarius, vel confessor, vt dispesat, potest vobis e renunciare, & adire Episcopum, vt potestate sua ordinaria dispesat. Quia cum ea commissio sit ob uouentis gratiam, ac facta originè concessa, non debet in eius damnum retorqueri. Regula quod ob gratiam, de regalis iuris in soliquod fauore. C. delegib. Nec ob id in reordicitur impetrati posse fauore sibi conuicti recedere. Itè, quia ad hoc Principem ad petendam rem aliquam, nullum praedictionis effectum operatur, ne licet ea postea id ab inferiori petere. l. 1. & toto tit. C. quando libellus. Et ibi Doctor. Atq; ita generaliter etiam in re scriptis iustitia tradit Nauar. lib. 1. c. 6. in 2. editione. cirde officio delegat. consil. 1. nu. 2. An uerò teneatur facere mentionem prioris dispensationis dicam num. sequenti.

Secunda conclusio: Idem credo, quauis iam virtute eius commissio ordinarius, vel confessor in eo voto dispensasset, partim commutando, iuxta Pontificis praescriptum. Possit enim hic vel ab ordinario petere, vt auctoritate ordinaria in ea commutatione dispesat: iuxta dicta disput. 9. nu. 20. etiam quando votum commutatum erat ex reueruatis, nedum quando non est ex illis, vt hic contingit: vel potest etiam eligere redire ad priorem voti obligationem (vt diximus disput. 9. nu. 21.) & petere ab ordinario, vt dispesat in illo auctoritate sua ordinaria. Quia tunc est nouum votum omnino. At in nouo voto tunc emisso manifestum est posse Episcopum dispensare, nec opus esse mentionem prioris dispensationis limitate factae per Pontificem: cum sint circa diuersa. Quia prius votum circa illam materiam castitatis iam prius extinguitur est. Quod si dicas non esse omnino diuersum votum. Quia aliàs nò liceret ad prius votum redire, cum id in melius com-

mutatum est. (Cuius contrarium diximus disput. 9. nu. 21.) Respondeo dupliciter posse hunc eligere redire ad prius votum: primo modo tanquam ad votum primitiuum, vtendo privilegio & libertate concessa omnibus, quibus vota commutatur etiam in melius, & tunc nò est diuersum votum, sed prius, quod non omnino extinctum erat, sed dependenter ab electione uouentis redeundi ad illud, vel implendi materiam in quam commutatum est. Secundo modo potest redire, non tanquam ad primitiuum votum, vtendo eo privilegio: sed materiam in qua illud commutatum est, quam multi dominorem constat esse, vt potest cui dispensatio admixta est, iterum commutando in prius illud votum, quasi de nouo illud emittendo, quod propria auctoritate a quocunq; uouentis posse semper fieri fatentur omnes. Et tunc est omnino aliud votum: ac proinde non erit necessaria mentio prioris dispensationis cum limitatione concessa. Imo quauis priori modo redeat, & sit idem votum: & in casu praecedentis conclusionis, in quo votum non erat extinctum, cum nondum expedita esset per ordinarium, vel confessorem dispensatio, existimo non esse necessarium mentionem prioris dispensationis cum limitatione commutationis consuetae facta per Pontificem de stylo curiae. Propter illa, quae trademus disput. 2. nu. 10. & 11.

Tertia conclusio. Quando Pontifex de eo casu consultus denegauit dispensationem, iudicans non adesse causam, credo nisi si noua causa proponatur, non posse Episcopum. Quia eo ipso quod Pontifex denegauit, videtur facultatem auferre inferioribus cum illo singulari dispensandi, nisi ex nota causa emergenti. At fecus esset, vbi huic singulari non denegasset, ac constat solitum esse Pontificem alijs denegare ob eas causas dispensationem, reputando eas non esse iustas. Tunc enim posset Episcopus eum illo, cui denegata non est, iudicans eas esse causas iustas dispensare. Quia cum iure ordinario sibi ea dispensatio competat, non astringitur ad dispensandum ex ijs solis causis, quibus Pontifex existens uult dispensare. Nec Pontificem denegasse alijs ex ea causa dispensationem, ligat ordinariam Episcopi facultatem, ne valeat dispensare cum hoc, cui Pontifex non denegauit.

Quarta conclusio. Quando Episcopi dispensant ex commissione expressa annexa perpetuo dignitati, vt contingit in capitibus Trident. sess. 24. de reform. c. 6. non astringit

gitur

gitur ad dispensandum ex solis causis, ex quibus solet Pontifex dispensare. Quare licet non sit Papa nolle dispensare ex aliquibus causis, & illis denegasse, potest cum hoc, cui non denegavit, dispensare ex ijs causis, si eas iustas iudicat. Vt num. precedenti dicebamus, quando dispensat potestate ordinaria. Quod haec tanquam iure concessa, ac dignitate perpetua annexa, sit ordinaria, (vt probauit lib. 2. dispnt. 40. num. 14.) In idem censerem, quando ex commissione speciali Pontificia dispensaret. Cum enim Pontifex non assignet causas, ex quibus commissarius dispenset, solum astringit illum, vt ex iusta causa dispenset, eius prudentie committens discernere, quae sit iusta causa. Exemplum huius nu. sequenti proponam. Secus esset quando ex sola epicheia dispensat Episcopus, vt in casu necessitatis ratione periculi in mora. Cum enim tunc ex sola praesumpta Pontificis voluntate dispenset, vbi de contraria voluntate constat, cessat praesumptio cui epicheia innititur. At postet vtique, quando Papa aliquando concederet, licet aliquando neget. Quia tunc non est contraria voluntas.

7 Quinta conclusio. Sicut diximus nu. 3. & 4. posse eum, qui impetrauit dispensationem ad Pontifice voti, in quo poterat Episcopus, posse ad ipsum confugere, vt dispenset: sic dicendum est posse confugere ad potentem ex priuilegio. V. g. fuit votum penale castitatis, vel religionis, poterat confessorarius per bullam Cruciatam commutare: (vt disput. sequenti trademus.) possunt etiam religiosi id commutare, atque in eo dispensare virtute suorum priuilegiorum: (vt dicemus disput. 16.) dico non ob stare huic facultati impetratam esse a Pontifice commissionem dispensandi factam ordinario, vel confessorio. Quia ad iussu superiorem, nullum praeventiois effectum operatur: & commissio fauore huius facta non debet in eius damnum retorqueri. (vt haec num. 3. probauimus.) Nec iam ordinarium, vel confessorie virtute commissionis dispensasse obstat, quin possit hic adire habentem priuilegium dispensandi, aut vt priuilegio Cruciatam, redeundo ad priorem voti obligationem, (vt dicebamus nu. 4.) & sic tanquam noui voti possit dispensationem, aut commutationem impetrare, non facta prioris mentione. Ob rationem qua eo nu. 4. tradidimus. Et quando Pontifex semper huiusmodi vota commutat in mensuras confessiones, & certa penitentiae opera: & solum quando

adest incontinentiae periculum: non impedit commutationem fieri per bullam in subsidium belli: prout ipsa concedit: & per priuilegia religionis, in quaeque opera pia: vt ea expresse concedunt: & virtute horum dispensari ex alijs causis iustis, quauis non adit incontinentiae periculum: dummodo huic singulari non sit denegata dispensatio Pontificis, vel eius penitentiario. Vt num. precedenti, in quo num. 5. probauimus.

Tandem duae difficultates dissoluendae super sunt. Prior est, an si quisquam dispensationem petijt ab Episcopo, in casu in quo poterat, veta religioso virtute priuilegiorum, vel commutationem virtute bullae, qui noluerit, sed remisit illum ad Pontificem, an postquam hic se praesentauit Pontifici petens ab eo dispensationem, possint sicut prius poterat Episcopus, religiosi, vel confessor? Et videtur eos non posse. Quod iam definit esse iudices, ex quo causam ad superiorem remisit. Vt habetur cap. licet. de offic. legati: & tradit ibi Glossa. verb. transulerat, & ibi Anton. nu. 8. Abbas nu. 3. Anchar. n. 2. Imola sine, & tradunt adeo hoc esse verum, vt nec ex partium consensu possit ea causa semel iam superiori praesentata, ad priorem iudicium redire. Ad dicendum est posse, quauis iam Pontifex commississet dispensationem ordinario, vel confessorio, & huius illa expedissent. (pro ut nu. 3. 4. & praecedenti explicuimus.) Quia textus d. c. licet, & doctrina autorum ibi allegata intelligitur in iurisdictione contentiosa, de qua is textus loquitur. Qualis non est iurisdictionis dispensandi.

9 Posterior difficultas est. An si impedimentum erat occultum, in quo solum poterat Episcopus dispensare quadiu occultum est, vt sunt casus coeetii in Trid. sess. 4. de reformatione. c. 6. in quibus conceditur facultas Episcopo, quam diu occultum fuit, nec ad forum contentiosum deduci, possit Episcopus, licet initio noluerit, sed remisit causam ad Pontificem, cui ille se praesentauit? Videtur non posse. Quia iam deducta res illa est ad Pontificis forum. Sed dicendum esse posse. Quod verbum, foris, idem sit quod iudicium, siue locus vbi iudicatur. c. forus, de verb. signif. Et licet ea dictio, solum, posita posset aliquam dubitandi aniam praebere: eam tamen proflus auferit dictio, contentiosum, illi adiecta. Quippe id appellatur, quod diu de danda certa elemosyna, remisit illi, vt parum delicta, nec soluit, ac obligati ad solutionem alterius parit, possit pars solu-

DISPUT. DECIMA QVINTA.

An per bullam, vel iubileum possint aliquando commutari vota Religionis, & Castitatis, & alia quae matrimonium impediunt, vel dispensari possint ad petendum debitum cum impedimento voti, affinitatis, vel cognationis?

SVMMARIVM.

Qua vota possint per bullam, aut iubileum commutari, & an necessarium in belli subsidium commutanda sint? num. 1. Proponitur arguens a probatione in nullo esse posse haec vota a castitatis, & religionis, per bullam, aut iubileum commutari? num. 2. Haec vota tunc censentur in bulla, vel iubileo reseruari, quando sunt Pontifici reseruat? num. 3. An possint per haec commutari votum temporariae castitatis, & castitatis coniugalis, non petendi, nec reddendi, virginitalis, non nullo bardi, assumendi ordinis sacri, diuinitium castitatis, vel ordinis, assumendi habitus beatae uirginis, reddendi ordinem militarem, petentem in religione? & vt differatur votum religionis? num. 4. An possint commutari per haec votum strictioris religionis in transiitum ad laxiorem? num. 5. Quid de commutatione earum tertium, in quibus Pontifex haec commutauit? num. 6. Quid de votis castitatis post matrimonium etiam missa? num. 7. Quid de votis penitentibus, ac conditionalibus castitatis, & religionis? num. 8. Quid de voto castitatis, ad petendum debitum? num. 9. Quid quando potest Episcopus dispensare in his votis ratione solius necessitatis? num. 10. Quid de iuramentis absolutis, aut penitentibus, conditionalibus castitatis, & religionis: nec quando simul concurrunt votum, & iuramentum? num. 11. An possit fieri dicta commutatio, quando prius testatus est Pontifex, vt dispenseret in ijs votis, si sine negarit, siue concesserit? & quauis commissarius nolens commutare, remisit illum ad Pontificem, cui se praesentauit? & quauis reseruat Pontifex ex sole certa causa dispensare in dicta commutatione in quadam certa opera? Remissio. num. 12. Commissarius Cruciatam, an dispensat ad petendum debitum, quando affinitas, aut cognatio spiritualis sunt post matrimonium contractum? num. 13. An concedente Pontifice facultatem commutandi voti de danda certa elemosyna, remisit illi, vt parum delicta, nec soluit, ac obligati ad solutionem alterius parit, possit pars solu-

da remitti ex causa per Episcopum, vel virtute bullae, vel iubilei commutari: & possit per haec commutari pena pecuniaria iam incursa ex fratre voto penalis? num. 1. An tempore iubilei possit confessor commutare votum in id commutatio esse, id quod vir doctus iudicari commutandum: & si hic frater votum, antequam vir doctus declararet, peccet in illud? num. 15. An facta iubileo possint commutari vota, quauis immemor commutationis non petijt, si confessor generaliter vota commutari? num. 16. Quid, si ea commutatio generalis non facta est? num. 17. Quid, si voti memor noluit commutationem petere? num. 18. Quid, si tempore iubilei hic non est factus, qd non inuenit in se culpa aliquam lethalem? num. 19. An si intebat lucrari iubilei, quae postea non obtinuit, reindeat in excommunicatione reseruatam a quibus est absolutus? num. 20. An si oblitus tunc sit alicuius, extineta maneat excoctio? num. 21. An reuiscant vota virtute illius commutata, quauis confessor commutari in ea, quae vir doctus prescripserit? num. 22. Quid, si nulla commutatio facta sit tempore iubilei? num. 23. Quid culpam committat hic non lucrans postea iubileum? num. 24. An commutatio haec virtute bullae, vel iubilei debeat necessarium in confessione sacramentali fieri? num. 25.

Remittenda est clausula bullae huius commutationem votorum concedens, & clausula iubilei. Clausula bullae Cruciatam sic se habet. Possint eligere confessorem ex approbato, ac ordinario, & ab eo quorumcumque peccatorum, & censurarum, & absolutionem recipere: & illa vota omnia, ultra marino, castitatis, & religionis duntaxat exceptis, in aliquod subsidium huius expeditionis per eundem confessorem commutari possunt. Clausula vero iubilei plenissimi, qui solet concedi petitis tribus diebus ieiunij, confessione, communi oratione, & elemosyna sic se habet. Possint approbato presbyteros eligere, qui eorum confessionibus diligenter